

cederet larvatus, quis eum non velut stultum rideret? Nunc vero quia multi stultescunt, tam nobiles quam ignobiles, tam litterati, quam illiterati, idcirco id pulchrum ducitur: quasi vero stultorum copia stultitiam minuat et non potius augeat, vel quasi in uno certo anni tempore pulchrum sit stultum esse et non alio. *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* ait Sapiens, Proverb. I. *et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient? Et imprudentes odibunt scientiam? Despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Et certe rident et subsannant nos Mahumetani, quod modo his tribus diebus pene omnes insaniamus, et post triduum quasi toti immutati et de bestiis rursus in homines transformati, frequentemus templum, et cinere caput aspergamus: quasi ex instituto in luto nos volutemus, et mox postea in flumine abluamus; quod nemo sanus faceret. Neque Christianos tantum, sed idcirco etiam Christum Dominum irrident, quod tam foedam levitatem tamdiu inter suos toleret. Magna enim disparitas est inter bacchanalia et alia Christianorum peccata. Quod enim multa nobis objiciunt peccata, quæ vigent inter nos, respondere illis possumus, ea non tolerari ab Ecclesia, sed reprehendi, prohiberi, deplorari et castigari. Sed objiciant nobis bacchanalia quod ea toleremus et quotannis celebremus, quid illis respondebimus?

IV. Quia sunt multorum malorum causa; aperiunt enim januam vitiis, et concedunt quodammodo plenariam peccandi indulgentiam propria auctoritate. Idcirco faciem obnubunt, ut sic omni pudore exuto nihil non levitatis et temeritatis audeant; ut merito dici ei debeat: *Usquequo facies peccatorum sumitis?* Psal. LXXXI. Cur enim Deus vultuum diversitatem in hominibus dispensavit, nisi ut mariti uxores, liberi parentes, amici amicos et inimicos, creditores suos agnoscerent debitores, sicque innumera caveantur scelera, adulteria, incestus, fraudes, proditiones, cædes, omniaque maleficia, quæ aliqui impune committerentur? Peccant igitur contra Dei ordinationem, quicumque immutant et quodammodo exterminant facies suas ansamque arripiunt plurima peccata impune perpetrandi. Quo quid potest esse perniciosius? Quis vero recenseat peccata, quæ ut plurimum perpetrantur a bacchantibus? Ibi plerumque ebrietas, ibi ludus intemperantior, et in illo avaritia et injustitia sæpe, ex illo vero lites et contentiones. Ibi choreæ et quæ inde prodeunt obscœnitates. Ibi furta et quandoque homicidia. Ibi ergo: *In medio*

laqueorum ingrediens, quod dixit Ecclesiasticus, cap. IX. Et quis te excusabit aut tibi condolebit si illaqueeris?

Deinde, sæpe vir et mulier permutant vestes, nulla adaeti necessitate, contra legem illam Deuter. cap. XXII. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim est apud Deum, qui hoc facit.*

V. Quia sæpius a Deo graviter punita. Exempla duo refert Maiolas episcopus Vulturariensis, tom. II. canic. coll. VII. Celebrabantur aliquando in aula regis Galliæ Caroli VI. cujusdam nobilis festivitates nuptiales. Rex animi recreandi gratia (erat enim mente paulisper læsus) et novi spectaculi convivis exhibendi studio, cum quinque aliis, ludis nocturnis, in cœnaculum prodit, vultu in leonini oris imaginem personato, reliquum vero corpus delibutum, multoque lino depexo, ac in villos confecto ita contextit, ut hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbem reste data choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex regia fit concursus ad picatorum spectaculum. Ludovicus Aurelianensis regis frater, studio clarius visendi, correptam facem propius admovit. E qua scintilla forte in regem incidens repentinum in omnes illos effusa flamma conflavit incendium. Rege vix servato uxoris Biturigis veste caudata fluxaque, qua involutus est, antequam ad vivum flamma, jam corpus lambens, pervenisset, quatuor misere ustulati perierunt, quintus in propinquam promi cellam ruens, aqua vinoque se perluens, salutem sibi peperit, Æmilius, lib. X. Huic non absimile in Germania, anno 1570. accidit, cum comites aliquot Hohenlonenses multis comitatus militibus Eberhardus festo sanguineum suum in arce Waldenberga festo bacchanaliorum visitandi studio convenissent. Hi ut nobilibus matronis et puellis nocturnum quoddam ludicrum (ut mos iste nimis frequens obtinuit) exhiberent, Faunorum personas multa stappa, lineis vestibus, pice resinaque agglutinatis, mentiti, jucundissimo spectaculo convivas ad ludum projectis in mensam tesseris provocant: ex quibus una fortuito casu in terram delapsa, puer personatus dum repetit, funalis incautius adhibiti flammam concepit et opem implorat adstantium. Eberhardus ipse pro sua pietate, puero periclitanti opitulaturus eodem malo corripitur: incenduntur et reliqui. Jocus esse primo visus est; mox rem serio agi clamores omnium indicant. Ad labrum vicinum, quod comes in hunc eventum aqua adimpleri jusserat, certatim accurrunt: at illud modo exaruerat. Erat qui psycterum aqua plenum afferret, sed

CONCIO V.

CONCIONE FUNEBRI SEPELITUR BACCHUS CUM BACCHANALIBUS.

I. Bacchi progenitores. — II. Uxores Bacchi. — III. Liberi ejus. — IV. Facinora Bacchi præclara. — V. Opes Bacchi. — VI. Sepultura Bacchi. — VII. Epitaphium.

THEMA.

Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Luc. XVIII.

Post Plutarchum scribit Eusebius, l. V. de præpar. c. IX. Epithersen Echinadas insulas præternavigantem audisse ex insula quadam vocem istam: *Magnus Pan mortuus est*; eamque gemitus et ejulatus inenarrabiles consecutos esse. Accidit hoc non longe post Christi passionem, qua princeps mundi diabolus foras ejectus et quodammodo extinctus est; unde Christiani magnum illum Pana Luciferum crediderunt, cujus ejectionem et mortem cæteri inferorum, spiritus gemitibus illis planxerint. Similem quamdam vocem non ita pridem audivimus publice promulgatam per Boiariam universam, nimirum: *Magnus ille bacchanalium præses Bacchus mortuus est*; jugulatus a serenissimo nostro duce et Rom. imp. electore Maximiliano, ut de ejus resurrectione omnino desperatum sit; siquidem bacchanalia e suo territorio proscripsit in æternum. Quam quidem vocem audiit imprimis cœlum, audierunt angeli et laudes Deo dixerunt, quod tandem aliquando repertus sit talis rex in Israel, qui *abstulit excelsa*, exemplo immortalis cæteris principibus; audierunt omnes pii et virtutis amatores, quibus jure tribuimus quod in hodierno evangelio legimus: *Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Sed quantum hinc lætati superi et pii, tantum inde contristati sunt inferi et qui ad eos navigant, Bacchi sectatores, qui hoc infausto nuntio toti consternati, mortem Bacchi de flere non cessant usque hodie, ac tantum non e sepulcro eruere conantur. Ad horum ergo solatium adornabimus parenti ipsorum funebrem concionem, eo fere stylo, quo solent uti præcones Lutherani, cum *mortui sepeliunt mortuos suos.*

I. Celeberrimus iste Bacchus, bacchanaliorum præfectus et choragus, celeberrimos habuit parentes et progenitores. Primus ejus parens imo patriarcha est diabolus, qui in paradiso primus induit larvam, cum serpentem subingressus ex ejusdem ore provocavit Evam ad aleam proposito ei pomo velito, perdiditque ludum Eva, et tantum contraxit debitum, ut nos filii usque in hodiernum luere id debeamus.

in ipso limine præ nimia festinatione offendens collabatur, effusa quæ intus erat aqua. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiscens, auxilii desperatione calamitatem auget. Et vertitur lætitia in miserabilem ejulatum, dum tribus horis tres comites, in ipso ætatis flore miseris ustulati modis, periire.

Impletum igitur in his videtur, quod fornicariæ synagogæ minatus est Deus, Ose. II. *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, et vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, etc. et mox: Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum et ornabatur in aure sua, etc. Quid enim bacchanalia nisi dies Baalim?*

Sed diceo suaderi his diebus bacchanalium libertatem, quia eam communiter omnes amplectuntur. Sed respondeo majorem partem communiter delirare et damnari. Sic Jud. VII. milites 9700. procubuerunt in aquas et biberunt pro inflexis genibus, qui a Deo exauctorati sunt: 300. tantum biberunt moderate, qui proinde victoriam insignem reportarunt. Audiamus Senecam hominem gentilem, sed vere christiane monentem de simili festo sui temporis, epist. XVIII. « His maxime diebus, inquit, animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solis abstineat, cum in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum firmitatis suæ capit, si ad blanda et in luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius est, ebrius ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. Illud temperantius, non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus: et eadem sed non eodem modo facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem. » Quid jam dicat quæso aut faciat Christianus? Esto igitur sit in his hilaris major quædam hilaritas, sed intra limites modestiæ, non qualis est in vulgi insania. Biberunt etiam trecenti illi milites, de quibus diximus, sed non eodem modo ut alii nonies milleni. Non se proluerunt aquis, non procubuerunt, non flexerunt genua. Edendi, bibendi, et ut ait Tullius, I. officiorum, *ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus.* Nos ergo, auditores, imitemur trecentos illos, non procumbamus in voluptates, sed uti e Nilo canes raptim bibunt, ne a crocodilis intercipientur: ita nos in transcurso potius delibemus mundum. Non flectamus ante illum genua: non sit venter Deus noster, ne finis noster sit interitus.

Porro patriarcha ille genuit plures filios, Beelphegor, quem Assyri coluerunt omni turpitudine, in forma viri nudi pellem in ore gestantis, quo significabatur libidinem et luxuriam incendi foverique Cerere et Baccho, sive cibo et potu, at vult Christoph. a Castro, in Jerem. XLVIII. Deinde, Priapum, necnon Chamos : et ipsos impurissimos gentium deos, qui si non ipsemet Bacchus fuerunt, ut aliqui sentiunt, certe ejus fratres aut propinqui erant; quorum sacerdotes in feminas, ut ait Cyrillus, in Ose. cap. IV. *Mollitie mutati, muliebri vociferatione et cymbalis utentes facesque ferentes circumcursabant.* Hi sunt progenitores imo et dil vestri, o sectatores Bacchi.

II. Habuit porro Bacchus uxores duas et unam præterea pellicem. Prima honestissima domina fuit, nomine gentilitas, quæ nudo corpore, omni cum turpitudine Baccho serviebat sacraque faciebat. Sed cum ista Christi evangelio coruscante, apostolorum opera, extincta esset et cum ea bacchanalia quoque fastis sublata, viduus aliquamdiu Bacchus mansit. Ubi vero Christianorum securitas et prosperitas crevit, pietas autem decrevit, tum ipse suos procos misit ad christianitatem, connubium ejus petens, honestissimo prætextu : æquum nimirum esse, ut ante quadragesimam valediceret esui carni, carni que indulgeret, posse id per quadragesimam cito et facile expiari, etc. Atque ita persuasa christianitas consensit in connubium, quod et mox conclusum sine licentia episcoporum aut benedictione sacerdotum; proinde illegitime, quamobrem etiam filios non nisi spurios genuerunt. Ad hæc juxta primam uxorem habuit etiam aliquamdiu meretricem, synagogam, quæ edocta in Ægypto, vitulum coluit in deserto; deinde, adulterata a Deo suo adhæsit deo Moabitaram Beelphegor et comedit de ejus sacrificiis, uti legimus Num. XXV.

III. Porro si liberos quærimus, habuit is quam plurimos et in historiis celebratissimos; Assyrios primo et Ægyptios; deinde, ut dixi, Judæos multos; tum Græcos ex Otheo genitore; post Romanos; denique Christianos. Ex istis maxime celebres fuere Sardanapalus rex Syriæ, qui hoc epitaphium moriens condidit : *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas* : vel ut in ejus statua repertum : *Hospes ede, bibe, lude, reliqua ne hoc quidem digna sunt*, (digitorum crepitu,) intellige, quem statua edere videbatur, ut refert Athenæus, lib. XII. Item hoc :

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, etc.

De quo Tullius, V. Tuscul. Aristoteli consen-

tiens : *Quid aliud, inquit, in bovis non in regis sepulcro inscriberes?* Post hunc Epicurus voluptatis et voluptuarium omnium patronus. Deinde imperatores non pauci; Claudius, Tiberius, Nero, qui a militibus vocabatur, *Caldus, Biberius, Mero*, inquit Suetonius, in ejus vita; quod vino nimium deditus esset, qui et noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit. Aulus deinde Vitellius imp. qui cum ab amicis convivia parari ipse sæpe postularet, nemo in hujusmodi epulis minus pecuniarum absumpsit, quam nostro sæculo pecunia numerata decies mille aureorum, et quæ suo sumptu agebat convivia longe erant profusiora : nam, Platina teste, præter id quod sæpius die ederet, una cæna suo jussu duo piscum millia et avium septem millia apposita sunt. Cujus imitatione Albinus et ipse imperator infaustus, tantæ voracitatis fuisse memoratur a Codro, ut una cæna comederit centum persica campana, decem pepones Ostienses, quingentas ficus passarias ac quadringenta ostrea; recensuit Platina, in Pontiano I. Exitus hæc probavit, qua insania fierent, præter id, quod Albinus brevissimo intervallo a militibus obruncatus est. Vitellius quoque cæno fimoque jactatus, ac furca sub mentum posita, diu per urbem tractus in scalis Gemonis omnium ludibrio jacuit, ac tandem carnificatus in Tiberim projectus est, Platina, in Lino I.

Idem Vitellius epulas trifariam quadrifariam partiebatur : in jentacula, prandia, cænas et comessionationes, solus omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. Suetonio etiam teste tam sordidæ gulæ fuit, ut carnes holocaustorum non peractis sacrificiis ante aras absumeret. Præclari etiam filii Bacchi fuerunt Nero imperator, qui a meridie ad mediam noctem usque epulas protrahere consueverat : Heliogabalus, qui nunquam minus centum sestertiis cœnabat, Ravis in offic. Caligula imp. qui maximam partem thesauri a Tiberio relictis cænis et comessionationibus cum lenonibus et scortis devoravit : Claudius Cæsar, qui etiam sedens pro tribunali cum olfecisset nidorem prandii, quod in proxima Martis æde parabatur a Saliis, deserto foro commeavit ad Saliis ipsos et una discubuit, nec unquam a triclinio discessit nisi vino madens. Taceo alios e vulgo innumeros, uti Philoxenum, qui optabat sibi collum gruis in bibendo; qui et in paropsides se emungere solebat ut abstinentibus æteris largius ipse frueretur solus : Novellium Tricongium Mediolanensem dictum a tribus vini congiis, quos uno impetu hauriebat, spectante

miraculi causa Tiberio principe, apud Plin. I. XI. Phagonem illum, qui adhibitus mensæ Aureliam, aprum integrum, centum panes, vervecem et porcillum uno die comedit bibitque oream vini. Agmen claudat Lutherus, qui post Epicurum egregius bacchanalium patrocinator, auctor et actor fuit. Hos secuti innumeri alii omnis ætatis, status, conditionis, sexus; ita ut de his verissime dicatur : *Stultorum plena sunt omnia.*

IV. Sed quid de Bacchi nostri gestis et facinoribus dicamus. Ea sunt præclarissima et toto orbe decantata. Primum est ebrietas, et quæ inde gignuntur sordes, vomitus, clamor, rixæ, impudentia, bestialitas, etc. de quibus, Isaia cap. XXVIII. dicitur : *Absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque ita ut non esset ultra locus.* Secundum alea seu ludus, et quæ ex illo oriuntur, fraus et dolus, rixæ et indignationes, blasphemias et perjurias, egestas denique. Tertium chorea et hujus filia, turpitudine, lascivia, impudentia, libido. Quartum insania et stultitia, et quæ hinc oritur libertas omnia audendi, furta, proditioes, homicidia, utpote quæ sub larvis tutius patrantur. Hæc Bacchi nostri gesta et fortia facta sunt.

V. Jam si opes ab eo partas bonaque scire volumus, ea sunt primo, pudor et ignominia, ita ut Turcæ nos subsannent, quemadmodum alibi vidimus. Pudet ipsosmet bacchanalistas suæ stultitiæ; siquidem non nisi larvati insanire audent, qui et puerorum sibilis passim excipiuntur. Secundum, paupertas et pecuniarum impendium, maximo uxoris et liberorum vel parentum damno, quod sera pœnitentia et fames sequi solet. Tertium, morbi, vomitus, nausea, vertigo et dolor capitis. Quartum, conscientia gravata, saucia, et remurmurans, timor confitendi scelera admissa, necnon satisfaciendi. Quintum, malus et sæpe repentinus interitus, uti ostendunt Hebræi vitulantes, Exodi XXXII. ubi occisa viginti tres millia hominum; et Num. XI. ubi coturnices erant adhuc in dentibus eorum et ira Dei (ignis conflagrationis) descendit super eos : et Num. XXV. ubi ob cultum Beelphegor occisa viginti quatuor millia. Ostendunt Balthasar, Holofernes, Philisthæi occisi in conviviis vel ebrietate. Ostendunt helluones et lurcones suapte ingluvie extincti et suffocati, uti Domitius Ater, qui in cæna post nimiam ingurgitationem periit; Andebuntus Anglorum rex, qui et ipse in cæna vino nimio hausto suffocatus est; Childericus Saxo, qui cum ad ambas usque aures se impresset, suffocatus in lecto repertus

est; quod idem accidit Luthero post cœnam largius sumptam. Ostendunt alii divina ultione propter crapulam muletati. Epulo imprimis evangelicus, sepultus in infernum; Zeno imperator qui ob luxum et ebrietatem conjugii Ariadnæ invisus, ab eadem ebrius regio monumento inclusus ibique inter lamenta et clamores derelictus periit, apud Zonaram, tom. III. annal. Michael tertius imperator, qui ebrietati deditus multa absurda fieri imperabat, aliis nares amputari, aliis aures, aliis caput. Quamobrem conspiratio in eum facta, ipseque ebrius tumultu auditu e cubiculo prodians ambabus manibus a conjuratorum uno truncatus, ab altero ense trajectus est, Baron. anno 867. Gallos luxui et intemperantiæ deditos in Sicilianis illis vesperis, intra duas horas supra octo millia occisos ab incolis alibi audivimus. Sed quis recenseat omnes talium Epicureorum infaustos et pudendos exitus? Sane quemadmodum servi Dei, ut scribit apostolus, ad Hebr. XI. *Ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circumierunt in pellibus caprinis, egenes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Ita servi Bacchi variis etiam modis, sed male perierunt : alii mortui in lecto inventi, alii per scalas lapsi collum fregerunt, alii ab equis decedentes tracti et contriti sunt, alii nimia ingurgitatione obruti et suffocati sunt, circumierunt in vestibis stultorum, in pellibus animalium, insanientes, vitulantes, qui digni non erant mundo, sed ultimo exterminio, ultra Thulen ablegandi, et cum epulone ad inferos sepeliendi.

VI. Superest ergo tandem, ut Bacchum sepeliamus, et qua putatis sepultura, nisi ea quæ configit regi Joachim, uti describitur Jerem. XXII. his verbis : *Non plangent eum : Væ frater et væ soror ! Non concrepabunt ei : Væ domine et væ inelyte ! Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.* Quia enim Bacchus cum omni sua familia vixit instar asini stolidi et luride, turpiter et bestialiter, idcirco infamem asini meretur sepulturam, ut omnes qui transierint per eum, memoriam ejus faciendo, nares ocludant : nemo planget eum : omnes potius jubilabunt, quod projectus sit extra ditionem nostram. Vel si plangere eum volumus, dicamus ei, quod Hebræi acclamarunt Achani, furi anathematis et ob furtum sepulti sub acervo lapidum cum omni sua familia : *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus*, Jos. VII. Turbavit enim nos Bacchus pessimo illo anathemate festo bacchanalium a gentilibus ad nos nequiter

derivato : exturbetur ergo et ipse. Rursum acclamemus, quod devastata Jericho proclamavit Josue : *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit civitatem Jericho*, Jos. VI. Quid enim improba Jericho, quæ lunam significat, nisi stultam bacchanalium solemnitatem repræsentat? Postquam ergo a Josue nostro excisa est, maledictus qui eam revocaverit.

VII. Sed quas ad extremum canemus illi exequias? Utique quas epuloni evangelico, magno Bacchi cultori decantatas legimus, Luc. XVI. Vigiliæ hæ fuerunt, quia *cum esset in tormentis, elevans oculos suos, vidit Abraham a longe*. Vultin audire primam earum lectionem? *Pater Abraham, inquit epulo, miserere mei et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Sed audiamus et responsorium. *Fili recordare*, respondit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*, q. d. in vita habuisti bacchanalia, die *Fasnacht*, nunc autem habes esuralia, die *Fastnacht*. Audiamus secundam lectionem : *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Sed quid respondet Abraham : *Habent Moysen et prophetas ; audiant illos, nihil et hic impetratur*. Pergit igitur epulo ad tertiam lectionem. *Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent*. At quid dicit responsorium tertium? *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Ergone nostris exequiis nihil obtinemus? Nihil, nihil, nihil. Etenim *in his omnibus*, inquit Abraham ad inferos, *inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire*.

VIII. Esto igitur hoc et Bacchi epitaphium : *Mortuus est et sepultus est in inferno*. Esto et illud Darii regis : *Potui et multum vinum potare*. Esto et illud Sardanapali :

Hæc habui, quæ edi, quæque exsatiata libido,
Hausit opes, et quæ quondam me cuncta beabant
Non sunt, sum cinis.

Ergo, auditores, huc oculos conjiciamus, ad cinerem videlicet, in quem desinunt bacchantes, necnon in infernum, ubi sepeliuntur. Scimus ex Danielis libro, c. XIV. coram Bel idolo appositas fuisse epulas, quas persuasus erat rex ab idolo devoratas, cum vorarentur a sacrificulis, qui tandem cinere in pavimento strato, a Daniele deprehensi sunt. Quamdiu ergo rex ad epulas

aspexit, tamdiu deceptus fuit, putans eas ab idolo absumptas, adeoque Belum vere deum esse. Sed ubi oculos convertit in pavimentum cinere stratum, ibi deprehendit Belum nihi esse ejusque sacerdotes sibi imposuisse. Ergo et nos quoque non attendamus ad delicias et mensas Bacchi et bacchantium; sed potius ad cinerem, infamiam, gehennam, in quam desinunt; indeque eruditi detestemur bacchanalia; et quemadmodum in hodierno evangelio, *omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo* : ita nos postquam vidimus abominandum Bacchi funus, demus laudem Deo, quia magnus Pan mortuus est.

CONCIO VI.

STULTI VITUPERANDI.

I. Qui sub larvis liberius peccant. — II. Qui facile nimis seducuntur. — III. Qui injurias injuriis compensant. — IV. Qui penitentiam differunt. — V. Qui bene operantur sed imantur. — VI. Qui hoc tempore insaniunt et exorbitant.

THEMA.

Non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. XVIII.

Inter omnia festa, quæ in toto calendario reperiuntur totoque anno peraguntur, nullum mundo solemnius, nullum acceptius quam bacchanalia seu feriæ stultorum : ita ut si illæ prohibeantur aut casu unus tantum dies ei subtrahatur per incidens jejunium, omnes reclamant et lamententur. Denique, ita celebre est hoc testum, ut se homines non putarent, qui his diebus solito liberius ludis, jocis, cibo potuique non indulgerent. Quod cum ita sit, mirandum est, quod Ecclesia in suis fastis non meminerit hujus festi. Certe nos clerici in breviario nostro omnia festa recolimus, de bacchanaliis solis nihil invenimus. Quid igitur causæ? Dicam opinionem meam; id enim fieri puto, quia contra bacchanalia reclamat et protestatur apostolus ad Ephes. V. dicens : *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Quo loco videtur mihi apostolus in spiritu prævidisse bacchanalia nostra. Quinam enim quæso, dies illi mali, quibus caute ambulandum? Quodnam illud tempus captivum, quod dicitur redimendum? Sanctus Remigius in eum locum ait : *Sicut dicitur mala esse domus quæ malos habitatores habet : ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt a malis hominibus*. Quod si ita est, quis non videt dies bacchanaliorum dies illos malos esse? Qui enim per annum dies, quibus

tanta fiunt mala, a malis utique hominibus, atque dies isti? Hoc ipsum etiam tempus illud captivum est quod redimi jubet apostolus, captivum inquam, hoc est, servituti diabolicæ et vitiiis mancipatum : tempus enim hoc adeo videtur luxui et vitiiis addictum ac subjectum, ut vix alicui liceat in illo bonum ac pium esse : multi sibi persuadeant licere nunc omnibus omnia. Tempus dico illud, quod a Deo nobis datum est, ut nobis operibus tribuatur, tribuitur dæmoni et quasi compedibus vinctum ipsi ejusque operibus, luxui, ebrietati, lusui, choreis, libidini, rixæ, insanix dicatur. O miserum tempus! O dies malos! Quid igitur faciendum hoc tempore suadet apostolus : *Videte quomodo caute ambuletis* (quia scilicet tempus hoc periculosum) *non quasi insipientes, sed ut sapientes*. Nonne his verbis bacchanalia manifeste interdicit? Denique *redimentes tempus*, sive occasionem, ut est in Græco, qu. d. cum hoc tempus sit optima occasio bene mendi, arripite occasionem, ne patiamini instar stultorum eam vobis elabi. *Redimite tempus*, id est, *vestrum illud facite*, ut ait Remigius, v. g. *alii vendunt illud, mala operando ad malum suum : vos redimite illud vobis talia opera faciendo, pro quibus remunerationem capiat*. Sed vereor ne frustra clamet apostolus et fiat illi, quemadmodum Christo in hodierno evangelio de passione sua loquenti : non enim intelligebatur : *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quæ dicebantur*; potius tunc honores appetebant, ut est apud Luc. c. XVIII. Non vult enim hoc tempore mundus intelligere : quia videtur hoc ipsum etiam tempus esse de quo apost. II. Tim. IV. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*. Scio me si toto hoc triduo continuo clamarem et bacchanalia dissuaderem, surdis fabulam dicturum. Igitur mihi non tam cum larvatis illis, qui discunt, stultis quique simulant stultitias, in præsentem lis erit, quam cum illis, qui absque larvis vere stulti sunt in perniciem animæ suæ et quidem plerumque hoc tempore, quorum etiam, juxta Sapientem infinitus est numerus; sed nos paucos tantum videbimus.

I. Tales sunt qui dum larvati et personati sunt, liberius peccant, ut qui non agnoscantur. Hi enim non advertunt se insanire coram oculis Dei et angelorum, imo et acodæmonum, quos vel solos vereri debent. Stulti et infantes si manibus tegant facies suas, putant se a nemine videri. Et stultus ille struthiocamelus cum altior sit equite, caput tamen sub frutice condens totum se latere existimat, teste Pierio, l. XXV. Plin. l. X. c. I. Ad hunc modum plurimi hoc tempore

exterminant facies suas et ab hominibus abscondunt, ac quasi jam a Deo nesciantur, insanunt, lasciviunt, gesticulantur, decipiunt, oculis ad lasciviam fræna laxant, etc. interim ad oculum Dei sibi continuo invigilantem non attendunt : *Quis me videt?* inquit Eccles. XXIII. *Tenebræ circumdant me et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, etc.* Hoc si cogitarent illi, quomodo non confunderentur et stultitiæ se arguerent? Quidam tempore bacchanalium insanire volens pictorem constituit, qui faciem ejus pingeret, quo ignotus et personatus liberius nugaretur. Pictor aquis tantum coloratis, qui colorem nullum exprimerent, eum illinebat potius quam pingebat. Unde is liberrime undique discurrere et bacchari cœpit, putans se ignotum, cum tamen ab omnibus nosceretur : atque ita delusus fuit. Non dissimile evenit iis, qui sub larvis turpia agunt : latere enim dum se putant ideoque liberius delinquant, videntur a Deo et angelis et iridentur a dæmonibus. Annon satis foret, pasquillum contra principem affigere, principe id vidente, licet nemo alius videret? Ejusmodi factum erat Adami et Evæ : qui postquam in Deum peccassent, quasi absentem, mox personati incedebant, abscondendo se a Deo; sed ab ipso in lucem protracti sunt : *Adam ubi es?* quasi diceret : *Putasne te latere?* Prodi, deponere larvam. Nemo hominum aderat qui peccatum eorum videre posset; quia nemo adhuc in mundo, præter ipsos, erat : et tamen profiti sunt, quia a Deo visi. Non potuit Totilæ regis spatharius regia sub larva eomitatu et vestitu, latere S. Benedictum, quin illico audiret : *Deponere, fili, quod geris, nam tuum non est*. Et vos, o insani, latere voleteis Deum?

II. Qui facile seduci se patiuntur, (quod sæpe fit hoc tempore) et in gravia peccata abripi, modica proposita illecebra, quod certe non sapientum sed stultorum est. Ejusmodi stulta avis cephus est, teste Pierio, l. XXIII. quæ cum spumam marinam mire appetat, ea sibi porrecta ad manum accedit et capitur. Nonne talis stultus Esau fuit, Gen. XXV. qui pro pulmento lenticulæ jus primogenituræ seu hæreditatem primariam vendidit? Et o quot ei similes, qui pro vanissima voluptatis aut lucri exigui illecebra animam diabolo vendunt, unaque Dei gratiam ac jus ad æternam hæreditatem, quod Christus sanguine